



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Copensteinii, Ordinis Prædicatorum  
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ  
Calvino-Catecheticæ**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Moguntiaë, 1626**

I. An homo Legem Dei perfectè seruare possit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35247**

nulla consolatio est: Aut, si quæ esse videatur; (tua recipe verba) *diabolica, & impia est* utraque.

Sed de fide speciali, deq; Certitudine salutis infra plura ad *quæst. 12. & 25. sect. 5. & in meo Luthero-Caluinista par. 4. q. 51. 53. 66. 67. in Antichristo par. 4. q. 33. 35. 36.*

## AD QUÆST. V.

Num hæc omnia (præcepta DEI) servare potes?

## I. An homo Legem Dei perfecte servare possit?

ALVINUS Instit. lib. 3. c. 14 § 9. pernegat: quia ait, *Nullum à Sancto exire potest opus, quod non mereatur iustam opprobrii mercedem*: Et specialiter de lege Dilectionis rigide negat in Antidoto ad *sess. 6. c. 11.*

CATECHESIS negat absolute; distinguit nihil.

MINISTER eam cum distinctione sic explicat: I. Ante peccatum originale potuit homo legem Dei perfecte servare, ut creatus perfecte bonus: Post lapsum anteregeneratorem in Baptismo, non potest: Atq; de hoc homine physico seu animali Catechismus *hic. & quæst. 8. & 14.*

2. Agit autem de omnimodè perfecta observatione legis: non iuxta legis depravationem istam Maldonati: *Diligas, &c. ex Toto corde Deum, id est, quantum possumus, diligamus: quia, quantum possumus, Deum vniq; diligere possumus.* O lepidum caput; sed cerebrum non habet, ac impudens! Quia, ait Augustin. *l. 2. Medit. c. 2. Neque restat in nobis aliquid, quod aucti possit ad Totum: si restabit; dici non potest Totum.* Ergo ex Toto diligendus Deus; quod perfecte nemo potest. Crassus aliquis Pelagianus dicit, *Posse perfecte servari.* Negat nobiscum Maldonatus, regentium sine gratia posse: Negat & Parochus; nisi, ait, *cum Deo, & favente gratia.*

3. Sed manifestus stupor est in expurgatore hoc, si non advertit Catechistam loqui de irrogenito: si advertit, voluntaria eius malignitas est: nec purgatione opus, cum idem doceat Ecclesia Romana, quod nosset Catechista.

Sed neq; Regentis potest perfecte servare legem: patet *quæst. 11. 4.* etsi quadam tenus possit.

RESPONDEO AD I. Placet distinctio; etsi lippis, tonforibusque nota. Displicet nec Regentis servare perfecte posse dici; Exigiq; omnimodè perfectam observationem. Quæ, quia ad *quæst. 11. 4.* rejicit; rejicio hic omittoq;

Pro duobus pauca dabo; Maldonato, & Parochio.

AD II. Benè Maldonatus: Sicq; in Ministrum retorqueo: Quia, qui diligit, quantum potest; is ex suo Toto diligit; i. e. perfecte: nam, iuxta August. *nil restat in eo, quod addi possit ad Totum*: Ergo is perfecte diligit. (Nunc tua recipe verba:) *O lepidum caput Ministri; sed cerebrum non habet! Impudens etiam & qui verscem impudentiæ arguit; continuoque asserit, eundem sentire secum; scilicet, Regentis præcepta Dei servare non posse sine gratia Dei; Parochumque suffragari.* Pelagianus dicit posse servari solis naturæ viribus; nos opus Dei gratiâ dicimus, sicq; posse. Crassus igitur Calvinianus est, qui istud utrumq; posse tam diversum, insinuat tacite similitudinis. Quin fateris ipse, Regentis posse; etsi non perfecte. Carpis; & quem, quare; nescis.

AD III. Catechesin hic loqui de irrogenitis ais: ut pugnare nolim; nondum tamen persuadeor satis. Quia ad quos lex de diligendo Deo pertinet in Catechismi q. 4. ad eosdè pertinere consequenter debet quæstionis 5. responsio de legis observatione: at illa pertinet ad recutitos Ver. Testamenti, ut ait Minister; & ad regentis Novi, ut fatetur Paræus in *Explicat. quæst. 5.* Ergo & observatio in quæstio. 5. pertinebit ad utrosque & non ad solos irrogenitos. 2. Deinde Catechesis negat absolute servari posse perfecte; excipit, distinguitq; nihil: Ergo recte ego restrinxi illam ad Regentis solos, recte q; correxisti: *estq; in hoc, (tua recipe verba) manifestus stupor, aut malignitas voluntaria.* Ministri, & non Parochi, corrigentis ad cautelam magis, quam necessitatem.

## II. An homo natura sit propensus ad odium Dei, &amp; proximi?

ALVINUS Instit. l. 2. c. 2. tradit, *Hominem arbitrii libertate nunc, post lapsum & regenerationem, scilicet esse spoliatum.* & cap. 3. *ex corrupta hominis natura nihil, nisi damnable prodeire: §. 8. Esseq; nos ad malum toto animo naturaliter propensos.*

MINISTER cum Catechesi affirmat, confirmat: terminos *Natura, & Odium* explicat. *Natura* dicit